



Kem 491 (1-11)

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O IN AVG<sup>V</sup>RALIS MEDICA  
SISTENS  
**HISTORIAM MORBI**  
VARIIS IN LOCIS CIRCA HERBIPOLIM  
**EPIDEMICE GRASSANTIS**  
PER ANNOS  
MDCCLXXXV, MDCCLXXXVI, MDCCLXXXVII.

QVAM VNA CVM SVBIVNCTIS  
**EX VNIVERSA MEDICINA THESIBVS**  
PRAE S I D E  
**JOANNE CASPARO GVTBERLET,**  
PHILOS. ET MED. DOCTORE, PATHOLOG. AC MED. FORENS.  
PROFESS. P. O.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT  
**IOSEPHVS MICHAEL SINN<sup>E</sup>R,**  
OXOVIVS, AA. LL. ET PHILOSOPH. DOCTOR MED. CAND. EMERIT.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO MEDICO  
DIE VII. NOVEMBRIS MDCCLXXXVII.  
ab hora octaua matutina ad decimam.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniuersitatis Typographi.

*Morbi oriuntur partim ex viuendi ratione, partim vero ex  
spiritu, quem introducendo viuimus.*

HIPPOCRATES de natura hominis.

REVERENDISSIMIS.  
EXCELLENTISSIMIS. ILLVSTRISSIMIS.  
PLVRIMVM. REVERENDIS.  
PERILLVSTRBVS.AC.PERQVAM.GRATIOSIS.  
DOMINIS. DOMINIS.  
DD.LOTHARIO FRANC.  
PHIL.CAROL.HENRICO  
L. B. DE GREIFFENCLAV  
IN VOLLRATHS,

Domino in Gereuth, Gundheim & Reckendorf, cet. cet.  
Eccl. Cathedr. Wirceb. & Equestr. ad S. Albanum Mog. ad S. Burkardum Heribip. PRAEPOSITO, Equestr. ad S. Ferutium in Bleidenstatt & Comburgi Canonicco Capitulari, Domino in Bodenheim, Eminentiss. Electoris Mogunt. & Reuerendiss. ac Celsiss. Principis Episcopi Bamberg. & Wirceb. Consiliario Intimo.

DD.PHILIPPO ANTONIO  
CHRISTOPH.ERNESTO  
L. B. DE GVT T EN BERG,  
Domino in Guttenberg, Breitenreuth, Streigenreuth, Humberdorff, Untersteinach cet. cet. Ecclesiae Cathedr. Wirceb. DECANO & Equestr. Coburg. Canonicco Capitulari, Iubilaeo & Custodi, Reuerendiss. & Celsiss. Principis Episcopi Bamberg. & Wirceb. Consiliario Intimo & Locumententi Perpetuo.

ET.  
CETERIS. DOMINIS. DOMINIS.  
ECCLESIAE. CATHEDRALIS. WIRCEB.  
CANONICIS.  
CAPITVLARIBVS.  
SPECTATISSIMO. PATRVM. SENATVI.  
NOBILITATE. SCIENTIA. RELIGIONE.  
HAS.  
LABORVM. MEDICORVM. PRIMITIAS.  
IN. PERPETVVM. GRATISSIMI. ANIMI. MONVMENTVM.  
AD. QVALEMCVNQVE. REVERENTIAE. SVAE.  
ET. OBSEQVII. MEMORIAM.  
DICAT. DEDICAT. CONSECRAT.  
GRATIIS. BENEVOLENTIAE. FAVORIBVS.  
DOMINORVM. DOMINORVM.  
SVORVM.  
PERQVAM. GRATIOSORVM.  
DEMISSISSIME. COMMENDAT.

*Servorum infimus*  
Iosephus Michael Sinner,  
Oxouius.





## AD LECTOREM.

Sisto tibi, beneuole Lector, morbi per annos 1785, 1786,  
1787 in variis locis epidemice regnantis historiam. Morbum  
enim hunc per tres hosce annos mihi obseruare contigit, ubi pri-  
mum in Frickenhausen, dein in Theilheim, tertia vice in Stet-  
ten aegrotorum saluti prospiciendi caussa accepi prouinciam. No-  
ua & insolita non exspectabis: saepius iam obseruata hic inuenies.  
Quare, inquis, ea refers, quae iam sunt trita? — En ratio-  
nem. Dissertatio mihi erat in lucem edenda; ad quod negotium  
peragendum triplicem mihi viam patere cognoui: aut enim be-  
neficio alicuius viri eruditii ea fuisset mihi comparanda, quam  
dein sub meo nomine promulgarem; quod candidae obstabat  
menti, nolo imponere, nec alienis plumis superbire: aut vario-  
rum optimorumque Auctorum opiniones mihi fuissent conqui-

A

ren-

—————  
rendae, exque iis rite pensitatis optima quaeque seligenda, & in  
vnum volumen condensanda; sed noui animi mei ad hanc rem  
imbecillitatem: summi id esse viri negotium credo, qui, quid-  
quid unusquisque in suis libris habeat optimi, summo virilique  
iudicio possit diiudicare. Insolens adeo non sum, qui id adgrediar;  
sunt alii eruditiores, sunt felicioris ingenii. Vnum tertium  
michi restat, nempe obseruationem quamdam queo in lucem pro-  
ferre, quam facere mihi Candidato medicinae contigit. Quae  
et si plane noui nihil contineat, dummodo ea, quae viderunt alii,  
confirmentur. Primitiae sunt laborum medicorum, hinc man-  
cae fors, sine legitimo nexu & ordine. Vir maiora adgrediar,  
quae ferre nunc humeri recusant. Hoc itaque opus ea, rogo,  
mente accipias, qua fuit conscriptum. Vale,

---

DE.





## DEFINITIO MORBI EPIDEMICI.

Differenti mihi de morbo epidemice regnante illud praeprimis esse agendum puto, ut, quid plerunque sub nomine constitutionis epidemicae intelligatur, brevibus verbis primum explanem; dein quae-dam generalia regnante morbo epidemico obseruanda proferam; tum morbi obseruati symptomata describam, ex quæis genius & character morbi elucebit, de quo vbi verba quaedam fecero, in fine quasdam morb historias adiiciam.

Constitutionem epidemicam, vti auctorum plurimi judicant, eam esse statuo, vbi plerique mortalium in quadam regione vitam degentes sanitatis patiuntur iacturam, morbusque ex communi quadam causa proueniens quoscunque adgreditur, non habita ratione aut aetatis, aut sexus, aut temperamenti; omnesque, quos inuadit, vtplurimum eadem premunt symptomata, atque eodem tenore apud cunctos scenam suam ludunt.

Evidem hic ego non adfirmo, regnante epidemica constitutione semper & omni tempore & in quocunque decumbentium ad sensum ea-



dem adesse morbi symptomata: constat enim ex plurimorum obseruationibus, eumdem morbum epidemicum varia & diversissima quandoque sibi communia habere symptomata: quin nullum omnino symptomata est, quod regnans epidemia non excipiat, & quodus se huic more parastico adsoiat. Quae diuersitas symptomatum & sedulitatem & summatum Medicorum adtentioem vbi meretur, tamen videre est, & summos in arte viros hoc scopulo allidisse, & absque culpa, cum praecipue ad ingressum noui epidemici morbi eiusdem charactere satis nondum dignoscatur, periculosam tum temporis & incongruam fecisse medicinam: quod, vbi caput altius extollere morbus cepit, utique adtentiores cognoscunt. & rectam medendi methodum apud reliquos feliciter administrant. Veritas isthaec ex collectis obseruationibus tam certo patet, quam illud magni SYDENHAMI assertum, quod eadem morbi symptomata non idem significant, diuersisque annis, ac variis constitutionibus diuersissimam medendi rationem requirant. Hinc dissenteriam ab eodem mox antiphlogistica methodo, mox antisepcticis, modo emeticis, modo anodynis sanatam legimus. Quin etsi negari non potest, multas febres epidemicæ regnantes sensibili cuidam atmosphaerae mutationi, & tempestatis variationi debere adscribi; nihilo tamen minus obseruatum relatumque legimus, quod eadem qualitates sensibiles, eademque atmosphaerae constitutione (quatenus concipi potest sensibus) subinde morbos diuersos produixerint. Obseruante enim eodem SYDENHAMO febres toto caelo diuersas esse graffatas intelligimus, licet quoad speciem duorum annorum tempora tempestatesque maxime inter se conuenirent. Praeter has ergo sensibiles aeris qualitates aliae causae constitutionem epidemicam producentes utique debent adesse. Sed, quanam illae? num alteratio in terrae visceribus? num ea alteratio in eo loco contingit, vbi morbus epidemicus initium ducit? num incepta epidemia suo genio sese latius  
dein

dein potest propagare? Num vero certis periodis morbi epidemicci  
recurrunt? Observations plurium saeculorum, sana ratione iisdemque  
in locis instituae, phænomena meteorologica, thermometrum, baro-  
metrum fors id confirmabunt.

Quibus omnibus cum destitutus adhucdum medicus viuat, habet  
sane, cur angatur. Evidem non ignoro, adesse medicinam facientibus  
quaedam subsidia, queis armati procedere contra morbum inuidentem  
poterunt. Ast, quam saepe haec ipsa non sufficiunt? Quoties cum SY-  
DENHAMO nobis dolendum est, quod primis aegrotis morbo epidemico  
correptis sit fato cedendum, quia genius epidemiae nondum satis patet?

Ea vero subsidia, quibus regnante morbo epidemico poterimus vti,  
haec fere sequentia esse puto. Et primum quidem erit, vbi aegrotum  
suo fato relictum & siue sic extintum siue naturae viribus seruatum  
contemplamur. Hinc sedulo inquirendum medico, qua ratione morbus  
fuerit iudicatus: an vomitu, an oborta spontanea diarrhoea, an sudore,  
an haemorrhagia, an aliam natura adhibuerit viam, & quamnam?  
Summum lumen adferent hae quaestiones, quid sit & in aliis aegrotis  
agendum. Ast studium hominis, quo ex instinctu naturali machinam  
suam conseruare, vitamque prolongare instigatur, raro hanc nobis vi-  
am relinquit. Vbi primum enim quis morbo tenetur, statim ambabus  
manibus, vt mortem auertat, remedia conquirit, queis intus sumitis  
adhibitisque anticipitem reddit medicum, vtrum ex mala medicamento-  
rum administratione, vtrum vi morbi fuerit extinctus: Immutant enim  
medicamenta adsumpta morbum, & turbant quandoque naturam, ne so-  
lennem huic illive morbo viam eligat; sed in occurrendo illi malo,  
quod medicamentum incongruum intulit corpori, tota studeat, elabo-  
retque. Habet tamen vel haec ipsa periclitatio variorum medicaminum  
regnante epidemia suam utilitatem: in notitiam enim morbi ex iuuanti-



bus nocentibusque pervenimus, & haec est altera via, secundumque sub-  
sidium. Quare interrogandum ex aliis, qui aut medicamenta tentarunt,  
aut periclitantibus adfuerunt, quid nocuerit, quidue profuerit: vtrum  
post datum emeticum, an post calefacientia, euacuantia, antiphlogisti-  
ca, aut post quamnam methodum res aegroti in melius processerint?  
Priusquam latius proreperit morbus epidemius, hercule multi iam fecere  
medicinam, ex quibus illa sunt desumenda. Praeterea, cum febris  
epidemice regnans aliquid de genio suo omnibus fere morbis rum fe-  
brilibus, tum non febrilibus, tum chronicis impertiatur, attendendum  
& cautis oculis indagandum, quis horum morborum communi alias,  
& iam notae medendi methodo pareat: plerumque enim illa ipsa me-  
thodus est, quam regnans epidemia desiderat. Quemadmodum saepe  
morbus regnans epidemicusque varios lusus habet, & totidem diuersos  
fere morbos refert, qui tamen eiusdem sunt indolis omnes, eamdem  
que medelam desiderant: ita etiam certo, cum in analogum sibi mor-  
bum incidit, isque obediatur notis medicamentis, hanc veram legitimam  
que medendi viam esse, licet concludere. Regnet enim morbus epide-  
mice, sitque eius caracter de inflammatorio genere; tunc pleuritides,  
peripneumoniae methodo antiphlogisticae cedent, quae his binis mor-  
bis caeteroquin est consueta: ponamus vero morbum epidemice regnan-  
tem esse generis biliosi; tunc pleuritides & peripneumoniae illis medi-  
camentis non obedient, euacuantia & antibiliofa vbi adhibentur, in in-  
tegritatem pristinam peruenient eiusmodi aegroti. Ast quid agat medi-  
cus, qui primus ad aegrotos vocatur, vbi morbum antea nondum vi-  
sum inuenit? huic supereft tertia via, quam ex analogia desumimus.  
Sagaci mente cuncta rimetur symptomata, & quam similitudinem praef-  
sens morbus cum alio aut viso iam, aut quem ex lectionibus obserua-  
torum nouit, habeat; ad eamdem indolem eamdemque curationem con-

clu-

cludit. Denique si morbus ad omnia fuerit rebellis, id agendum esse  
puto, ut spectatores adsimus naturae, id agendum, ut nihil agamus.  
Abstinendum ab decisiis remediis, non tentandae sunt magnae euacua-  
tiones, solummodo generalioribus febris indicationibus insistendum.  
Medicus aegroto mentis corporisque quietem suadeat, praescribat po-  
tus leuiter refrigerantes, soluentes, diaetamque febribus consuetam praec-  
cipiat; debilem naturam erigat, exorbitantem vero refroenet, sedulo-  
que obseruet, quid natura moliatur. Hanc enim ita struxit naturae  
auctor, eamque hisce insigniuit dotibus, ut sponte sua morbū auer-  
tere, subigere & expellere conetur. Optimus omnium practicorum  
consensu medicus is est, qui naturam sequitur, ideoque medicus naturae  
minister adpellatur. Nimium agit medicus, qui multum agit, & ho-  
mines ingulat, qui naturae voci & actionibus non auscultatur. Sed in  
his tum in pluribus aliis rebus fieri affoler, ut arte quaeramus, quod  
prouida natura multo melius nobis efficaciusque offert. Si nobis modo  
tanta diligentia tantaque esset sagacitas, ut cognoscere illud, illoque be-  
ne vti possimus. Naturam, inquit HVXHAMVS, nobis optimam meden-  
di viam demonstrare pro certo habeo, licet minus vtique sit pomposa,  
quam boli alexipharmaci, potiones febrifugaē, & cardiaca iulapia.  
Nos in morbis depellendis, ait SYDENHAMVS, haud satis lente festina-  
mus, tardius vero nobis esset procedendum, & plus naturae saepe  
committendum, quam mos hodie obtinuit. Errat enim, sed neque er-  
rore eruditio, qui naturam artis adminiculo vbiique indigere existimat.  
Quare morbum medicanti naturae subinde relinquamus cum quadam  
solertia & sedulitate: medicus nempe naturae minister salutarium eius  
conatum impedimenta remoueat, tollendo faburras emesi, si materies  
sursum turgeat, aut emeto catarsi, purgatione, si deorsum: Stases in-  
flammatorias viscerum nobiliorum afferendo (miasma enim ut stimulus

agens



agens quandoque inflammationes producit) sed cautissime agendum cum venaesētione, potus emollientes tepidi, antiphlogistici saepe sufficiunt, vitando calorem lecti somnumque. Motus naturae exorbitantis nimis deprimantur potu aquoso acidiusculo, & in magna humorum rarefactione atque in spuria plethora cum intenso atque vrente calore acidis etiam mineralibus; gelatinis ribesiorum, succo cirri, situ erecto, abstinentia a somno diurno: sique maximi & nimii sunt naturae motus, quandoque venaesētio instituenda, sed modo exploratoria, in tantum nempe, quantum sufficit ad motum refroenatum coerceendum. Verum difficilis & delicata res est, quando possim dicere, modo naturae vires exorbitare: praestat subin & maxime in putrida febre vis vitae incitator: quandoque in primo febris statu motus maximi, & vere exorbitantes, nec tamen venaesētionem admittit morbus; altero enim stadio, variolas in exemplum adduco, motus hi vltro remittunt, & vis vitae languida adparet. Ingens hic requiritur iudicium praetoricum. Pensitanda sunt aetas decumbentis, temperamentum, vitae consuetudo. Insuper prope inquirendum, an non absente medico nimis calefacientia sint adhibita, quod saepissime clam agunt rudiores, medicoque omnia ex ratione agenti tamen non respondet effectus. Semel hoc mihi contigit, vt, qui indies deprimere vires sum conatus, indies eas crescentes cernerem. Obstupui haesique anceps; ministrandem verbisque durioribus mortem praesentem, ni veritatem fateantur adstantes, ex quodam medicamine, quod simulaui habere ad manus, aegrotac obuenturam praedixi: nimio calidorum, vini nempe, vsu adeo exorbitantem esse febrem sum hariolatus: ast negavit maritus, negarunt praesentes. Tandem dixi, modo ego medicinam faciam, qua recreabitur aegrota; vinum vero quodsi adsumbit, morietur. Hic adcurrit maritus, enixa rogans, ne propinem medicamentum, fictum nempe: fateturque,

se

se vxori indies bis, de mane nempe & vesperi, ad refocillandas vires  
 dedisse pultem vinoſam, & ad virus abigendum theriacum egeranum,  
 insuper aegrotam per diem bibere vinum, sed bonae notae, nempe me-  
 racissimum illius anni 1783. Obedienti tandem milique moras geren-  
 ti obtigit aſt multo ſerius quam reliquias sanitatis. Tertium, quod agat  
 medicus, eſt, vt vires vitae languidiōres erigat, quas ſaepe felici euuen-  
 tu in morbis putridis moderatus vini potus efficit. Sed probe perſpi-  
 ciendum, an non sit debilitas ſpuria; ipſae euacuationes quandoque vi-  
 res addunt aegrotis, ſaepe vomitorium datum ſummopere vires erigit.  
 Hypochondria tumida, intestinorum murmura, abdomen tensum, al-  
 uis adſtrieta, caput grane, ſomnolentia nimia, vertigo, praecordio-  
 rum obpreſſio cum ruetū frequenti ſummam ſemper debilitatem anne-  
 xam habent; propinetur purgans, ſunt cerebriores deiectiones, & hercle!  
 alacrior, roboreque valentior enadet aegrotus. Quarto deuiae & aber-  
 rantes naturae vires ſunt auocandae; praecipue vbi viscus nobilius ad-  
 greduntur: quod fit fotu vario, emolliente, diſcutiente, repellente,  
 modo calido, modo frigido; ſinapismis, veficatoriis, purgationibus &  
 aliis modis diuersis, pro ratione ſclicet & partis adfectae, & materieſi  
 partem occupantis. Quinto denique collatoria, excipiendae materiae  
 morbosae obportuna, ſunt aperienda, aliud potiſſimum enemate folli-  
 citanda; vrinae potibus acescentibus ſunt motendae, excretio cutanea  
 non quidem diaphoreticis vrgenda, ſed curis ſieca, rugosa, imperspira-  
 bilis ablutione mediante ſpongia, aquis tepidis madida, eſt emollienda.  
 Maxime haec ſuor intelligenda in iis morbis, quorum genium adhuc-  
 dum ignoramus. Et quories id nobis in morbis epidemicis contingit?  
 Nonne, quae vel in aliis morbis patent, nobis hac ratione, ſolo natu-  
 rae nutu patent?

Haec ſunt mea quidem opinione illa ſubſidia, quae propullulante

B

epi-



epidemia medicum instruunt: erant saltem ea, quae magno mihi usui fuerunt; hisce eruditus atque instructus per tres retro annos iis, quorum vitae prospiciendi facultas mihi erat data, felicem feci medicinam.

### GENVS MORBI.

**C**uius vbi epidemiae genium describere me accingo, a me aut hypothesis, aut theoriam morbi, aut explicandi desiderium nemo exceptabit. Ieiunam ego observationem in lucem proferam, sola, quae morbum comitabantur, symptomata describendo. De nomine enim morbi sane non sum anxius; vtrum gastricam, biliosam, aut bilioso pudridam, aut malignam hanc febris epidemicæ speciem quis denominet, non euro. Vidi ipsem easum, vbi quis phrenitide affectum esse aegrotum ratus oposita huic nomini, sed non morbo praesenti medicamina tentans aegrum iuuenem, infelicem misit ad plures. Vtique erat phrenitis, sed illa Species, quam HVXHAMVS febrem putridam phreniticam appellat, quae phrenitidis species tumidum plerumque ventrem adstringit, habet comitem, atque ex retenta in visceribus biliosa colluie oritur, quaeque commodissime lenibus purgantibus fugatur, non vero venaesectione, quae in hoc aegroto pessime fuit instituta, retenta materies intrauerat sanguinem, eamque dissoluerat; facta venaesctione sanguis dissolutus qua data porta ex naribus profluxit omnino ad mortem usque non sistendus. Evidem non eo inficias, legitimam sinceramque morbi denominationem magno esse adiumento therapeuten exercenti; sed construatur morbi definitio ad lectum aegrotorum, hauriaturque ex praesenti morbo. Quoties sub quodam nomine alias morbus latet? & quoties de nominibus morbi inter se dissident practici? Non oportet verbo denominationique, utpote fallaci, sed ipsi adhaerere rei. Quodsi morbi a me obseruati periculosum ingressum, si eiusdem insidias, si in-

gen-

= = = = =

gentem decumbentium copiam, si symptomata singula perpendam, febrem malignam putridam eam esse adpellandam crederem, nisi huic meae opinioni tum ob malignitatis tum ob febris putridae denominacionem summos praticos haberem aduersarios, nec inter se de hisce verbis conuenientes. Circa febrium enim malignitatem adeo dissentunt, ut varii varie hanc definientes, quid mihi tenendum sit, plane ignorem. Alii enim morbum illum esse malignum statuerunt, qui specie quidem esset mitis, ast facultate grauis. Alii in insolitis symptomatibus, nervosis nempe eius naturam quaesiverunt, vbi nimirum conuulsiones, subsultus, deliria & his similia obseruarunt. Fuerunt etiam, qui illum esse morbum malignum credebant, vbi morbus quidem nihil habebat extraordinarii, nulla symptomata ad speciem grauia aderant, quique ut quisquis alias morbus decurrebat, ast ad quaecum remedia, quibus aliquin similes ad aspectum morbi sanabantur, erat rebellis. Quidam malignitatem repetebant a subita virium prostratione, sine cognita alia causa, si morbus clam quasi irrideat aegro, cumque repente prosternat, & vires tam animales quam vitales proiiciat absque cauſa nota, quales sunt v. g. nimiae euacuationes, aut plethora repente orta &c. De putredine hoc licet adiicere, putridam febrim ideo sic adpellari, vel quia inter statum aegrati & cadaueris incipientis saltem est remotior analogia; vel quia cadauera ex febre putrida extintorum cito patescunt, quam aliorum mortuorum: vel denique, quia in decumbentibus hac febre putridissimas foetidissimasque euacuationes tam per aluum, vrinam, quam sudorem non adstantes solum, sed etiam interdum ipsi aegrati persentiscunt: vel ultimo quia reuera extremitates, vti HVRHAMUS obseruauit, superflite adhucdum vita gangraenescunt, quod saepe in quibusdam corporis locis a cubando contingere obseruamus. Evidem scio, hos esse effectus febris putridae, nec me fugit, ex hac ratione eosdem

a nonnullis pro febris purridae essentia non adsumi: sed num ab effe-  
ctu ad causam licet concludere, an non? Ego quidem summis & per-  
fectis in arte medica magistris non audeo obloqui, sed neque in eorum  
verba iurare me oporteret. Interim hic ego statuere quidquam non adla-  
boro, quum nec hypotheses, nec explicandi desiderium in me cadunt,  
atque licet id explicandi rara mihi fortuna esset data, litem modo no-  
minis componerem, non vero methodum medendi, circa quam pluri-  
mi conueniunt, emendarem. Sunt equidem falsae circa hanc materiam  
hypotheses, quae sumnum inferunt rei medicae damnum, saltem in-  
tulerunt; sed felici fato obsoleseere incipiunt. Vnam tamen distinctionem  
febres inter putridas, quam magni esse momenti vix quisquam  
poterit negare, hoc loco licebit mihi adferre. Aliam placet febrem  
putridam denominare primariam, aliam secundariam: siue aliam febris  
putridae classem voco febrem putridam per se, aliam per accidens. Non  
raro enim citra rationem manifestam & sistente gastrico non offenso  
febris putrida oritur ab incognita quadam & vix explicanda oeconomiae  
animalis discrasia, tumque hic morbus recte simplex & genuina febris  
putrida mihi appellatur. Quando autem aliis morbus mala medendi  
methodo pertractatus abit in putridam, hanc ego per accidens, siue  
putridam febrem secundariam nuncupo. Rem in exemplo proponam.  
Decumbat quis febre inflammatoria legitima, tractetur is methodo an-  
tiphlogistica ultra, quam ut aegroti morbique conditio id desideret, sa-  
ne hic morbus poterit in speciem febris putridae abire, quia hac me-  
thodo, prout SYDENHAMVS loqui aiat, tonus sanguinis dissoluitur, &  
eneruatur, crasis humorum virtutur atque deprauatur. Ex qua distinc-  
tione clarum redditur, cur alii aliam in curanda febre putrida methodum  
adhibuerint, propter quod ingens saepe lis fuit exorta. Vtraque  
methodus erat congrua, vtraque alia, sed & alius in quoquis erat mor-  
bus,

bus, licet vterque putridus. Potius itaque historia morbi rimanda; eiusdem symptomata singulatim discutienda, ex causa ad effectum, siue ex effectu ad caussam concludendum; habita insuper ratione subsidiorum a me antea descriptorum, morbus ipse pertractandus, nec infelix exitus nos frustrabit. Noui a plurimis, huic epidemiae nomen febris putridae datum, alii eam febrem suisse gastricam statuerunt. Ego vel neutiquam vel vtrumque ratus quoquis contentus nomine singula morbi symptomata & decursum intuitus, ad nocentia atque iuuantia adtentus huic medicamenta obposui. En eius faciem.

### HISTORIA MORBI.

**I**ncipiebat hic morbus, vt plerumque fieri in febrilibus morbis solet, cum leui quadam horripilatione saepius per diem redeunte, postea quam debilitatem per sex octoue dies praegressam accusarant aegroti; Horripilationem illam semper excipiebat calor maior, minor; quae visceribus horroris atque caloris per aliquot dies durauerat. Omnes de magna virium prostratione & debilitate absque caussa manifesta, quae has destruere vires potuisset, conquerebantur. Aderat animus depresus, mens erat ad omnia quin ad morbum & mortem ipsam indifferens. Pulsus erat varius, adeo inconstans in plurimis, vt modo esset fortis & plenus, modo contraetus & debilis: Plurimi magnam peccoris obpressionem accusabant, quam etiam ex respiratione impedita, suspiciose cognoscebam; nonnullis, praecipue qui tenuorem corporis compaginem prae se ferebant, & inuenibus cum catarrho aderat tussis, saepepiruit magna copia expuebant, adeo, vt vix non apud quosdam me hic morbus sub larua febris catarhalis primum deciperet. Adpetitus erat prostratus, & nausea praecipue in carnes ferebantur. Alii prae primis Frickenhusii 1785 de doloribus rheumaticis artuum inferiorum



querebantur, quos dolores, vbi in iis locis cessarunt, migrantes ad abdomen ingentia tormina excipiebant; his quodsi diarrhoea oricbatur, summopere leuabantur; quibus vero aliis stipata manebat, altera die ingenti capitum dolore vexatis delirium accedebat, non emendandum, nisi aliis diarrhoeice flueret. Non vero semper diarrhoea erat critica, quae si erat liuida, & foerida valde, miseros aegrotos colliquabat, praecipue vbi neglectis euacuationibus faburra in ventriculo haerens diutius morando acrior assidue siebat, tandemque per intestina descendens ista summopere torquebat. Lingua erat sordida, albo obducta muco, quae flauior dein nigrescens & aridior siebat. Interdum hanc aphthae obsidebant, quas semel fuisse criticas aegroti leuamen resque exin melior demonstrabat. Sitis in incremento febris plerumque erat ingens, nonnunquam vix poterat restignui; sed offerentibus quascunque porulento species repulsa dabatur; adeo non ullum placebat potus genus, vt omnia esse insipida adfirmarent. Paulo post vna alterave die clapsa nullas de siti querelas mouebant, licet os atque lingua insigniter foetida & siccissima essent. Menor illius HIPPOCRATIS: In morbis acutis non sitire pessimum in hac epidemia breui futuram phrenitidem aut certe coma somnolentum euenire colligebam. Undecimo plerumque die sudores olentes nidorosi sequebantur, vt saepe conclaue intrans mecum parochus sponte diceret: Hic recreatus erit aegrotus, sudorem suboleo. Naturam sudoris viam praeprimis eligere in febribus putridis malignisque, his confirmat verbis HVXHAMVS: Quanquam natura saepius materiam morbi in febribus putridis malignisque vomitu & aliis eliminare nititur, eius tamen magis constans & maximum per cutis pores obseruatur conamen; dein sancte asserit, se nunquam harum febrium aliquam vidisse, quae perfecte iudicata aut sublata sit, donec maior aut minor eruperit sudor. Sed hic sudor non oportet esse profusior,

non

non frigidus, non viscidus, non inaequalis. Qui si in initio profusi  
contingunt, plerumque perniciosi, ac si rigor superueniat, summum  
periculum designant. Sudor post euacuationes gastricas, inquit STOLL,  
maximam materiae morbifica partem educit; & certe sudor in hac fe-  
bre adeo est necessarius, vt, si aegrum videoas quomodocunque se ha-  
bentem in febre putrida, attamen si sit cutis sicca, in praesentaneo pe-  
riculo est, nihilque boni praedicendum, donec sudor apparuerit. Vri-  
na erat spumosa, pinguis, flaua. Aluus malo omne saepe pertinaciter  
obstructa. Febris ipsa continuae remittentis seruarat tenorem. Sanguis,  
vbi emittebaratur, laete ruber erat, superficies crusta flaua obducta, quod  
ex relatione aliorum habeo. Oculi erant tristes, sordidi, nonnunquam  
tunica eorum albuginea leuiter erant inflammata: audaci voce responde-  
bant: omni nisu e lecto surgere conabantur, interdixit debilitas. Sub  
decursu morbi vbi per aliquot dies iam lecto erant adfixi, sopore cor-  
repti continuo dormiebant, nonnisi cum labore excitabantur, vt medi-  
camenta propinarentur. Iam surditas, desipientia, suspirium frequens,  
manuum tendinumque tremor, & subsultus accedebant; attamen de va-  
letudine rogati vix querebantur quidquam, adeo inualuerat torpor:  
Obliuio mira, ita, vt, quid momento antea egissent, plane ignorarent.  
Morbus vbi naturae vires deuicerat, hanc habebat scenam. Aluus &  
vrina insciis effluebant, foetidissime olentes, soprosis magis palpebrae  
semis erant apertae, crusta obductae, vox, quae semper tardior euad-  
ebat, plane nunc intercipiebatur, in nonnullis corpus obsidebatur pe-  
techis vberrimis, adueniebat subsultus tendinum, respiratio anhelosior,  
pulsus debilis intermittens, lingua nigra, spasmi, liuor manuum, ac  
saepe ipsorum etiam cubitorum atrae mortis certissima adstabant prae-  
nuntia, quae ab undecima die ad decimam septimam plerumque con-  
tingebat.

**CAVS-**

## C A V S S A.

**F**ebris omnis duplice agnoscit caussam, alteram praedisponentem, alteram excitantem sive occasionalem. Hae ipsae caussae numero vix non sunt infinitae. Reducuntur tamen ad singulares, particulares & vniuersales. Singulares a magno BOERHAVIO ad has fere classes reducuntur; dependentque ab ingestis, retentis, gestis & externe applicatis. Caussae vero vniuersales aut certae annorum constitutioni, aut annuae mutationi, aut certo cuidam loco, aut intercurrenti cuidam miasmati debentur. Ex particularibus caussis morbi sporadici, ex vniuersalibus epidemici originem trahunt. In morbo hoc epidemico utique ergo caussa vniuersalis debuit adesse; sed quaenam illa fuit? HIPPOCRATES in libro de natura hominum inquit: Quum multi homines uno morbo corripiuntur eodem tempore, in id, quod maxime commune est, quoque omnes utimur, potissimum reiicienda caussa est. Id autem est, quod inspirando trahimus. Quod autem viuendi ratio cuiusque nostrum in caussa non sit, iam liquido constat, quum morbus omnes continententer attingat, & iuuenes & senes, & mulieres & viros, perindeque & temulentos & abstemios, tam eos qui maza, quam qui panē vescuntur, & eos, qui multis, quam qui paucis exercitationibus vtuntur. Non igitur vietus rationi adsignanda est caussa, quum eius generis vietu vtentes eodem morbo corripiuntur. Num ergo miasma morbos epidemicos producit? Sed quale est illud miasma? Idem dubium. Hoc tamen verosimillimum est haerere miasma illud in aere. Validissimi venti saepe illud dissipant. Huic epidemiae nec penuria, nec frumenti caritas praecessit; sed ingens aquarum inundatio. Num hanc caussam admittamus? Liceat mihi cum maximis, exercitatisimisque Medicis meam fateri ignorantiam, hypotheses non amo, cumque SYDENHAMO statuo, incassum desudare illos, quotquot diuersarum febrium

brium rationes a caufsa morbifica in humano corpore aggeſta deducunt. Nam liquido patet, quemlibet, pancratice etiam valentem, si certa quaedam huius nostrae regionis loca adeat, febre ibidem graſſante intra dies aliquot laboraturum.

### MEDENDI METHODVS.

**R**ecensitis haſtenus morbi epidemici ſymptomatibus, atque ex his inuestigato febris genere ad methodum medendi pertraſtandam deducor. Eam vero ex dupliſi fonte haui; nimirum ex regulis diaeteticis, tum ex pharmaceuticis: hac ratione medelam tam a SYDENHAMO, BOERHAVIO, quam ab HVXHAMO aliisque practicis ſtabilitam ſum sequutus. Multa remedia non habui ad manus, nec varia. Legitimus aeris viſus, calor lecti focique temperatus, aegroti decubitus, conueniens potus & victus, moderamen febris ea erant ſubſidia, quae aegrotis praefcripsi, queis his optime erat consultum. Felix euentus, quo vnius alteriusue aegroti in initio morbus fuit iudicatus, cum mihi fiduciam decumbentium conciliaret, factum eſt, vt meis praefcriptis, quae in perquam exigua pharmacum copia conſiſtebant, ſe faciles praebarent. Agrestes namque medicamenta reſpuunt, & niſi iis quamprimum reſtauretur sanitas, medicum derifui habent, eapropter mihi maxime erat agendum, vt magis magisque ſtuderem diaetae, ſicque poteram naturae conamina in hoc morbo accuratiuſ obſeruare. Ex quo intellexi, quantillis medico obſeruatori, naturaeque ministro opus eſſet medicamentis. Saepiſſime aegrotos meos in haec erumpentes verba audiui: Omnia agemus, dummodo non propinetur medicamentorum cumulus. Neque in morbis febrilibus admodum multa remedia requiruntur. Pauca ſunt, inquit BACGLIVVS, curandis morbis necessaria remedia, ſi morbus curam recipit; ſi febres in longum protrahuntur tempus, nulla eſt

C

ratio



ratio medendi melior, quam pharmacis abstinere, adhibito tantum conuenienti vi<sup>ctu</sup>. Alio loco idem in remediorum vsum praecipue pharmaceuticorum ita inuehit: Praescribunt plurimi purgationes, deinde phlebotomias, vel econtra; enemata iniiciunt, syrups adhibent, & tamdiu haec omnia, veluti in orbem repetunt, donec obseruauerint, vel non declinare, vel in peius ruere morbum, & runc ad remedia, vt aiunt, magna proueniunt, vesicantia nempe copiosa, scarrificationes, sinapismos; purgantia fortiora & huiusmodi quam plurima, per quae, si propositum nequidem assequi possunt, ad exspectationem crisis se tandem conuertunt, nec interea erubescunt, ab ea natura erisin exspectare, quam tanta remediorum laniena & methodo tam contraria vehementer perturbarunt. Si alicubi, inquit in eodem capite, certe in medicina multa scire oportet, & paucia agere. Dolendum est praeiudicium non-nullorum aegrotorum, qui existimant, morbos facilius non sanari, quam per grandia & copiosa remedia, dum vel facilia vel minoris impensae praescripta vident, vel dubia mente sumunt, vel despiciunt. Vidi haec omnia & audiui dolentes amicos mortuique funus deflentes in hoc vno solarium suum posuisse, quod sibi essent consci*i*, quia omnem lapidem mouissent, omniaque egissent, qui, si minus officiosi fuissent, miserrimum hocce solatium quaerere non debuissent.

Qui semel rusticorum conclaue visitauit tempore hyemali, satis sibi valebit proponere, qualis aer, quanta eius impuritas obseruetur, vbi infelicius quis lecto adfigitur. Ducatur nunc calculus, vbi epidemia regnante quandoque pater & mater sex aut septem prolium via cum natis in angustis adeo laribus impurisque speluncis decumbunt. Nausea me adhuc subit, vbi huius spectaculi memor me vix non bis suffocatum esse fato in acceptis refero. Accedit, quod ingens adhuc inter agrestes praeiudicium vigeat, calido regimine esse tractandos aegrotos, Felici mihi

mihi fortuna contigit. vt me semper reuerendi parochi sua auctoritate apud rusticos plurimum valentes sustentarent, ipsique saepius mecum visentes aegrotos & fenestras aperuerint, & apertas esse seruandas circumstantes sua grauitate admonuerint. Haud erat imposterum difficile, id ab reliquis impetrare, vbi omnes fese maxime releuari aeris noui immisione vnanimi voce testarentur. Per diem itaque semper unam fenestræ alam apertam esse volui; mane & vesperi vapore aceti ferro candenti aut lateri cocto ignito superinfusi aerem emendaui. Quo saepius per diem redire ad se delirantes aegrotos cernebam. Circa calorem lecti id obseruaui, nisi saepius per diem eximerentur aegroti, & grauius delirium inseguuntur fuit, & quasi comatosi summo sopore correpti iacuerunt: ab eodem regimine paululum modo calidiore crebriores petechias efflorescentes, atque in gracilioribus iunioribusque miliaria in superficien corporis se dispergentia deduxi; de quibus SYDENHAMVS, licet, inquit, miliares sua sponte nonnunquam ingruant, saepe tamen lecti calore & cardiacis exprimuntur, extorquenturque. Audacissimo praecepto ipsis petechiis decumbentes iussi exesse lecto, licet retrocedere venenum garrula gens garrire. Obposui me illis, neque esse periculum sequuturum petechiis retrocedentibus me affirmarem cum non destitueret effectus, sunt laetati. Non tantum petechiae & miliaria calido hoc regimine extorquentur, sed & sudores nimii adeo periculosi in initio morbi. Sed de his cum pulcherrime tractauit TISORTVS, ad illum virum praeclarissimum prouoco, & nonnisi pauca ex eo verba depromo: in suo libro, cui titulus: Für das Landvolk, haec fere habet: Wenn man die armen Kranken aufdecket, ihnen frische Luft gibet, da sieht man gar bald, wie das Fieber, die Beklemmniß, Bangigkeit und schwere Träume sich vermindern. Nichts unterhalte das Fieber mehr, nichts vermehret offensbarer die Verwirrung der Sinne, als

C 2.

dieses,



dieses, wenn der Kranke niemals aus seinem Bettie kommt; wenn er das leinene Zeug nicht abändert; und ich habe durch dieses zweyfache Mittel öfters ohne andre Hilfe den Verwirrungen der Sinne ein Ende gemacht, welche zwölf Tage ununterbrochen fortgedauert haben. LETSON adeo necessarium aeris refrigerium in his morbis putat, vt solo aere absque dato cortice perniciario, quam cortice absque aere possint sanari. Consideremus adhuc, quod decumbentes insciī saepe aliū & vrinam depo- nant, & quantopere hisce excrementis calore lecti foetidissimis corrumpit aer, quem introducti aegrotus? Nonne hoc vno impedimento saepissime obeundum misero? Aeris ergo puritatem & foci calorisque mediocritatem maxime omnibus commendauit. His solis adminiculis plurima remedia, quae ceteroquin fuissent adhibenda, fuere non neceſſaria. Quorum quam pauca adhibuerim, ex remediorum pharmaceuti- corum descriptione nunc edenda patebit.

Ipsò morbi initio, queis poteram adesse, vbi de nausea & vomititione querebantur, emeticum propinaui, quo ventriculi colluuius eiiceretur, & praecautum foret diarrhoeae saepe septimo octauoque die lethali. Vbi vero haec vomitatio non aderat, purgans ex rhabarbaro cum salibus mediis maritato propinaui, quod valuit plurimum; hoc modo enim putris expurgata fuit colluuius, aliusque indies seruabatur aperta, quo maxime sunt leuati aegrotantes. Potus plurimos, variis etiam aegris contradicentibus praescripti; potus vero materiem eam assumsi, quae virtute temperanti, humectanti, demulcenti subacescen- tique pollebat, qualēm constituant decoctum hordei cum oxymelle sim- plici, serum lactis, iulapia ex syrups acidis cerasorum, rubi idaei, ci- tri &c. Quibus potulentis non modo nausea, sed ipſe etiam conatus ad vomendum saepissime extinquebatur.

Qui vero diutius iam morbo erant vexati, & hoc ipso, aut mala-  
me-

medendi methodo in summam perniciem deducti his utique generosiora remedia erant obponenda, vti cortex peruvianus, serpentaria virginiana, syrapi ex acidis mineralibus, camphora, & vesicantium adparatus. Venaesctionem in hoc morbo semel adhibui, & hanc quidem inuitus. Eam enim adeo non perferre hunc morbum cognoui ex aliorum perclitatione, vt nunquam auderem hanc instituere. Robustissimi validissimique hoc remedio tantopere debilitabantur, vt vir reuerendus procerae statura annorum triginta trium natus sanissimus antea, herculeique roboris venaesctione repetita in pessimum deductus me aduenientem statim hisce allocutus fuerit verbis: En iacet hic athleta, viribus exhauſtus, ter inciderunt mihi venam. Vires cruenta methodo ablatas vbi & vesicantibus admotis & propinato cortice peruviano reuocare sunt conati, incidit in diarrhoeam lethalem, obiitque die vndecima. Fateor equidem, saepe adfuisse pulsus duritiem frequentiamque, ex queis signis praecipue in robustioribus alio tempore venaesctionem esse necessariam scio; ast in hoc morbo nonnisi semel eam, vti antea dixi, tentavi. Vir 43 annorum habitans in Sterten antea semper sanus, temperamenti sanguinei, robusti, potator strenuus hoc morbo corripiebatur. Aduocatus ego diaetam consuetam potusque conuenientes cum nitro dedi. Quibus repudiatis altera die maior capitis dolor maiorque accessit debilitas, vt lecto adfigeretur, oculi erant tristes, sapor in ore nauseosus, amarescens, lingua ex albo flauescens, pulsus debilis celer, anxietas magna, Rheum cum sale medio propinaui: at ecce respondet garrula mulier: Marito meo debet secari vena. Quod cum pertinacius negarem, insistendumque esse viae praecriptae dicerem, velle se id agere, reponit sciola muliercula. De vesperi aduenit chirurgus, & num oportet venam tundere aegroto, quod id a se denuo petierit vxor. Ne-  
gaui, cumque eo adiui aegroti aedes, venaeque sectionem esse omitten-  
dam

dam demuo suasor fui. Mihi inde muliercula, bene, inquit, alium accedam Chirurgum. En ad preces mihi erat consugiendum; tantum valebat vxoris impudentia, saltem omitteret venaesctionem ad alteram vsque diem, medicaminaque de mane praescripta daret marito: Obsequuta est, cessitque precibus quoad venaesctionem, ast medicamenta non propinauit. Altera die ita mecum: Quodsi ego venaesctionem institui non permitto, alium vocabit clam chirurgum, qui vberiorem mittendo sanguinis copiam aegri mortem accelerabit; vbi vero me praesente instituitur, modicum sanguinis extrahitur, vt acquiescat malesana, mihique imposterum obtemperet. Instituitur itaque venaesctio ad vncias quinque. Vix me relinquentem hasce aedes aduolat vxor morti esse proximum maritum clamans. Repetii domum eumque graui lipothimia correptum inueni. Cardiaca hinc ad manus primum sumsi, postea solennem feci medicinam, qua conualuit. Hunc ego casum ideo descripsi, vt, quantum nocuerit venaesctio in hoc morbo, indicarem. Adeo exacerbatus fuit hic morbus venaesctione, vt ex ea largius instituta bis mortem praedicarem, quae etiam fuit insequuta. Pulsus ergo frequens & durus in hac epidemia venaesctionem non indicabat. Idem saepe in variolis contingit, vbi etiam interdum vena in aegroti perniciem pertunditur. Miasma enim variolosum primis diebus vt stimulus agens hunc pulsus frequentem durumque producit, qui altero stadio in debiliorem mollioremque vltro mutatur. Hinc, inquit Hvychamus, febris naturam sollicite attendere nos oportet, cum a contagio sit oborta, quod non minus sanguinem quam spiritus animales afficere videtur.

Nec tamen hic adfirmo, nunquam couuenire venaesctionem in hoc morbo. Miasma saepe loca nobiliora petit, pulmones verbi gratia, ibique speciem peripneumoniae producit, vbi trique sanguinem esse

de-

derrahendum statuo, non vero ratione morbi sed ratione peculiaris huius symptomatis. Ipse ego secundo epidemiae anno in Theilheim aegrotorum sanitati propisciens tandem hoc morbo sum correptus, ex quo vix non omnes aegerrime esse me euasurum crederent, adeo in me vis morbi incubuit, vt, nisi Clarissimi Praefidis indefesso labore & admiranda arte fuisse conseruatus, nec hunc diem agerem, nec occasio fuisse unquam, huic ob praestitum mihi summum amicitiae officium publicas agendi grates, quas ad mortem usque quavis occasione repetam. Grauissime tamen decumbenti octaua die minoris quantitatis instituebatur venaelectio. Sed his praetermissis tamen videtur mihi vix in ullo morbo contagioso indicari venaelectionem, quoniam contagium intime cum humoribus est permixtum, & quoniam cum paruam sanguinis quantitatem emittas, totum contagium parum imminuis; quod siue sanguinem emittas, vel relinquas, vel maiores vel minores edet effectus. Contagium, ait HVXHAMVS, solidorum robur frangere & sanguinem dissoluere certum est ita, vt, si nobis iniecta est suspicio, febrim a contagio fuisse excitatam, caute in sanguine mittendo sit agendum; licet quoque symptomata satis insigniter in principio exacerbata, vt larga sanguinis quantitas detrahatur, imperare videantur. Dein paulo post, Pulsus, inquit, saepe post secundam sanguinis detractionem imo nonnunquam post primam mirum in modum decrescit; ego vero hoc plures non sine maxima cura & sollicitudine & quidem tum obseruaui, cum existimarem, pulsum caeteraque satis indicare, necesse esse, vt sanguis mittatur. Igitur, concludit idem, tam necesse est, vt febris epidemicae peculiarem naturam bene adtendamus.

Mirantibus, me adeo non fuisse in hac epidemia multorum remedium aicum, illud obpono, me pauperibus & ruricolonis fecisse medicinam; qui hoc responso nondum adquiescit, illud BOCGLIVI dictum



Etum sufficiat, vbi in capite de ciborum delectu siue de methodo curandi morbos sine ope remediorum ita fatur: Sunt, qui alia ratione morbos curare nesciunt, quam satiando stomachum syrups, conseruis, & mille nuguendulis pulueribus: Tyrones mei, quam paucis remediis curantur morbi? quam plures e vita tollit remediorum farrago? Norunt id viri celebres HARRIS Londini, HOTTONVS in Belgio, LE CLERC, MANGETVS, CHENAVD apud Genuenses, SCHROECHIVS Augustae, & amicissimus clarissimusque LANZONVS. Sic est, plurimi absque eo, quod debitae humorum coctioni prospiciant, absque eo, quod naturae vocis obdiant, vel fatali vsu corticis, vel purgantibus indebito tempore exhibitis, vel aliis incongruis remediis curationes adornantur. Ex quo morbi oriuntur, quos vocant incurabiles, & illa morborum chronicorum ingens cohors, quos a morbis acutis male sanatis deriuat immortalis BOERHAVIVS, quibus multoties remedium paecludit impatientia aegroti, vel medici; multoties etiam proprinchorum aut astantium, quamvis diutinae & matrae arti curationique cederent, nisi haec ad essent obstacula.

Circa vesicantium usum id obseruaui, vbi in hoc morbo sopor surditasque aduenerunt meis aegrotis, epispastica & vesicatoria optato cum successu adposui, licet surditas nonnisi deuicta morbo demum tempore emendabatur. Eadem vesicatoria tussi admodum profuerunt, vbi sputa non satis commode cedeant.

### C A S V S I.

**E**lisabetha W. annorum 34, temperamenti sanguineo proximi, antea semper sana, rite menstruata, mater septem prolium felici partu enixorum, rusticis suis laboribus sedulo incumbens decubuit iam duodecim dies, & quantum ex astantibus raris amicis poteram intelligere,

gere,

gere, communia huic morbo symptomata sua pauperie auxiliis destituta pertulit, in initio Theriacum sic dictum Egeranum, sumferat (fatale illud rusticorum asylum) & ad fugandam debilitatem vinum ab amicis propinatum quandoque gustaverat. Me aduentante haec aderant symptomata:

Soporosa iacebat: auditus grauis: oculi turbidi, paululum inflammati; dentium stridor; lingua nigrescente muco onusta, nec tamen siccissima; respiratio anxia laboriosa; tussis sicca, vehemens; hypochondria tensa, dolentia; alius nulla, ex quo autem tempore, non poteram fieri certior, quia eodem morbo & maritus & septem proles uno in conclavi tenebantur, sui plane inscia; situs incomitus; pulsus debilis parvus, frequentior; tremor & subsultus tendinum, calor vrens ad tactum; flocculorum collectio; facitum delirium; spiritus intolerabiliter olebat. Vrinam non vidi. Erat hora pomeridiana quarta, ubi eam miseram tali statu inueni. Quod aliud nondum haberem ad manus medicamentum, clysterem ordinavi, epispastica ad plantas pedum adposui, serique lactis copiosum potum praescripsi.

Die 13. morbi. Irrequia per noctem; surgere ex lecto conata; delirium maius; alius nulla; accedebat prioribus symptomatis insuper meteorismus. Dedi nunc corticem peruvianum cum soluentibus, & syrupum minerali meracum. De vesperi frequentiores flatus, & ventris murmura; hypochondria & umus venter paululum molliora, denuo clyster iniiciebatur.

Die 14. de nocte aliud copiosissimam bis depositum, ad horas matutinas somno recreanti indulgere visa: respiratio facilior: corpus transpirat liberius, remittunt symptomata praeter auditus grauitatem & tussim siccissimam: omisso syrupo minerali propinabatur oxymel simplex. De vesperi pulsus insurgens, frequens, lingua siccior, fbris maior, &

D

de-

debilitas ingens, quam ipsa accusa it sui paululum conscientia. Vinum anhelanti id multa aqua dilutum concedebam.

Die 15. vti heri. Continuabatur cortex absque soluentibus, quod aliquis erat aperta.

Die 16. de mane satis bene; sputa prodeunt cocta, tussis remittit. Difficulter prae debilitate exscrebat: permitto vini usum.

Die 17. alacrior facta me aduentantem ridens salutat, cibosque nunc primum petit, queis liberiori gustu adsummis de dolore ventriculi & aestu maiori querebatur. Incauta carnem iam assumserat.

Diebus sequentibus praeter debilitatem & auditum grauiorem nihil accusauit, & quam pro deplorata habui primis diebus, diaeta nunc restaurante optime emendatam breuique sanam sum miratus,

### C A S V S II.

**M**artinus G. vir 33 annorum temperamenti robusti sanguinei per duos menses iam plurimum suae viuidae indolis deperdiderat, faciemque prae se rulerat ab hoc tempore paululum flauesceret, ut saepe admonitus ab amicis, consuleret saluti, horum tamen preces respueret. Tandem epidemia grassante ad plures aegrotos vocatus ibidem ad lectum cuiusdam nausea correptus antesignanis morbi prodromis affligitur. Suo officio maiori diligentia, quam tum res eius sanitasque desiderabat, incumbens ex via, ubi sacrum cum suis iter suscepserat, redux, ingenti debilitate correptus, calorem frigusque mutuum accusans affigitur lecto. Absens Medicus, quin aegroti statum sedulo perspicceret, ter fieri venaesectionem iubet, chirurgo pulsus explorante. Altera die decubitus delirat. Scptima aduocabar ego, eumque his stipatum symptomatibus vidi.

Decubitus erat incomitus, respiratio maxime anhelosa, facies tristis, flava, collapsa, oculi turbidi inflammati, cutis siccissima, calor vrens,

vrens, anima foetens, diarrhoea stupenda, pulsus celerrime vacillans, delirium tacitum iocosum, flocculorum collectio, lingua, quam aegre extraxit, tremula nigrescens; hypochondria tensa; vesicatoria ad vtramque surram adposita, quibus ablatis curis paululum eleuata absque aquis, sed ichore nigro foetida apparuit. Memor dicti illius LETSOMII, ubi necessitas vrget, cortex peruvianus ad vncias duas per diem propinandas, hunc quavis forma sumendum iussi. Sed licet hoc paululum emendatus videretur, tamen cum curis aresceret, mihiusque cruentus accederet, summam humorum dissolutionem & mortem sequuturam concludebam. Die decima frigidus sudor & olidus & tenax apparuit, de vespere fato cessit.

### C A S V S III.

Margarerha S. annorum 29 antea semper sana, praeterquam quod ex prima grauiditate ad mammam dextram depositione lactis facta haec abiret in suppurationem, quam porrigerere imposterum natis non amplius poterat: tertia morbi die me vocauit; lactantem filiolum sinu gerens satis mihi sana videbatur, praeter debilitatem maiorem nihil accusans. Ipse ego, qui nihil morbosi poteram detegere, ne incurius videar, quodque lingua paululum onusta erat, diaetam ordinavi, salesque medios praescripsi. Plurimum per diem abstinuit lecto, & quod cum marito non satis grato suauique coniugio viueret, nec ullum symptoma graue appareret, fictum per sex dies morbum credens leuissimo medicaminum adparatu eam tractauit, nec sedulus visitaui.

Die decima cum mane adirem aegrotae aedes, eam fractam viribus, facie tristissima decumbentem obstupui; vix prae debilitate mihi poterat respondere; manus, ut pulsum explorarem, trementes porrigerat, pulsumque debilissimum citatissimumque reperiebam. Linguam inspicienti haec nigerrima visa & siccissima. Ad praegressa adtentus

D 2

vtrum-



vtrumque errorem commiserit aegrota, rogans responsum accepi: Breui ante appetitu satis vigenti escam sumfuisse; nocte praegressa continuo tenesmo fuisse vexatam; nec nisi repetitis vicibus paucas foeces flauas olidissimas deposuissesse. Abdomen erat tensum, & fere vii meteorismo occupatum. Corticem largissima manu dedi, syrumpumque mineralem meracissimum, remisit diarrhoea cum tenesmo, lingua ex arida nunc sit humida, transpiratio procedit liberior, & decima sexta die morbi facto calculo incipiebat reconualescere.

#### C A S V S IV.

**M**ichael F. annorum 22. temperamenti sanguineo acris ante septem annos haemophysi laborans de ingenti debilitate & capitis dolore grauatiuo cum aurium fusurru prima aduentus mei die querebatur (praegressa iam erant symtomata communia caloris frigorisque mutui per aliquot dies). Magna pectoris obpresso; pulsus magis durus, quam in caeteris, frequens, appetitus deiectus, lingua paululum onusta, sicca, somnus nullus. Methodum adhibui leuiter antiphlogisticam absque venaesectione, propinaui laxans antiphlogisticum.

Die 2da maior capit is dolor, auditus grauior: eadem cura cum pediluuiis.

Die 3ta de mane eadem: sales medios propinaui, de vesperi leue delirium, alius binis diebus nulla; ordinabatur clyster.

Die 4ta bis aluum depositum, adeoque mitis visus fuit morbus; ut parentes haud esse filio medicamine opus rati reconualecentem eum crederent. Interim responsa ab illis sano consuetis abhorrebant: erant ferociora.

Die

Die 5ta nocte praegressa diffici parua narium haemorrhagia obuenit, stupor encephali paululum remittit.

Die 6ta eadem haemorrhagia, quam aquae vaporibus adiuui; levatur, ast remanent ferociora responsa.

Die 7ma nouum oritur frigus, quod magnus calor excepit. Ad fugandum frigus vinum adsumit (ipse parens sese rusticorum medicum fassus est). Lingua nunc magis onusta; hypochondria dolorifica, do-lores per artus lancinantes, praecipue per pedes, qui admodum tremebant: pulsus ad 90 iectus fortiores. Anxius hic vnu sollicitusque de vita. Laxans antiphlogisticum propinaui. De vesperi bis aluum depositus, sed satis duram. Praescripsi largos potus seri lactis.

Die 8va somnus nullus, calor maior, delirium maius, pulsus debilior, nec aluum depositus, nec vrinam misit, licet apprime bibisset. Lectum semoui trepidantem per cubile circumduxi, mitrit vrinam. Inicitur clyster, de vesperi aluus nulla. Clyster repetitur.

Die 9na nocte delirium increuit: de mane summa obpresso pectoris, anxietas, tremor, tendinum subsultus, pulsus debilis, celer, vrina flauescens biliosa, lingua firnacea, rubra. Sales medios cum pulpa tamarindorum dedi.

Die 10ma nox mitior, delirium minus, paululum sanguinis fluxit e naribus, ter depositus aluum cum leuamine, duos ano excreuit vermes; remittit tremor & tendinum subsultus, respiratio euadit lenta, rara.

Vlterius hunc ego aegrotum non obseruauui. Correpto mihi epidemicu morbo erat discedendum. Ast reconualuisse eum, & superstitem esse factus sum certior.



Conscripta iam erat haec mea epidemiae huius delineatio, quam  
Clariss. PRAESES Historiam morbi illius, annis 1771 & 1772, epi-  
demice regnantis legendam mihi porrigeret, descriptam a Cel. Physico Neu-  
stadiensi Ignatio REDER. Ex qua non sine admiratione eamdem mor-  
bi faciem sum intuitus. Qui vterque morbus, quantoque inter se con-  
ueniat, illis palam elucebit, qui utramque dissertationem inter se com-  
parare voluerint.



## COROLLARIA.

### I.

**M**orbum bunc epidemicum facilius debiles & iuuenes et senes ferebant, quam robusti. Vegetis & viris omnia erant pertimescenda.

II. Si aliuns pharmaco belle respondebat, si cutis arida mollescebat, & sputa cocta reuiciebantur, omnis aderat spes.

III. Aequabilis leuans mador, qui praegressis signis bonis superueniebat, spem potius bene iudicatae sanitatis, quam solam crisi indicabat.

IV. Surditas in multis post superatum morbum continuabat; restauratis viribus solo tempore ex integro euanescebat.

V. Aqua frigidissima, in quam ferebantur aegroti, non tantum insonter propinabatur, sed summo cum levamine. Quidam omne respuentes medicamentum hac sola sunt seruati.

VI. Subitanæ resipiscientia cum elatione tympanitica, pulsu exili, sudoribus frigidis signum erat lethale.

VII. Haemorrhagia vberior pessimi ominis.

VIII. Diarrhoea magna cum singultu mala.

IX. Quo maior debilitas, eo maius periculum.

X. Delirium iocosum peius, quam triste & tacitum.

XI. Sed omnium pessimum delirium circa res necessarias.

XII. Hilaritas mentis, liberior transpiratio & vini generofioris potus ad laetitiam usque sanos immunes seruat ab epidemia.

XIII. Ad miasma epidemicum eneruantum conclauiu defunctorum sunt probe depuranda & perlustranda.

XIV. Tum etiam Xenodochia extra urbes transferenda.

XV. Natura morborum medicatrix, medicus naturae minister ejusdem mutus sequatur.

XVI. Qui optime naturae leges nouit, is optimus quoque medicus.

XVII. Naturae conamina in quouis morbo, huic communia & propria sibi quotidiana reddat.

XVIII.

- ❧
- XVIII. Observator naturae non annis, sed sedulitate mensuratur.
- XIX. Respiratio certius signum, quam pulsus & urina.
- XX. Pulsus durus, frequens cum dolore locali, signum est inflammacionis.
- XXI. Pulsus latus, debilis cum dolore locali, signum est spasmi.
- XXII. Calor febrilis saepius ab aucta generis neruosi sensititate, quam ab alia causa oritur.
- XXIII. Varia, quae interdum febres comitantur, symptomata vix non totidem febrium classes & praticorum dissidia intulerunt.
- XXIV. Catalepsis, chorea S. Viti, epilepsia, Mania & alii morbi sati ostendunt, quantum dominium imus venter in reliquum corpus exerceat.
- XXV. In febribus ardentibus aegros nimio inundare potu ingens peccatum.
- XXVI. Peripneumonia vera raro sine sputis iudicatur.
- XXVII. In pleuritide remedia expectorantia dantur, an recte?
- XXVIII. Phthisis vera pulmonalis curatu est impossibilis.
- XXIX. Cunctatio sana in morbis plus prodest, quam nimia operositas.
- XXX. Exanthemata in febribus acutis rarius crisi indicant; saepissime malam medentis methodum declarant.
- XXXI. Morbi pecorum Medico forensi sciitu necessaria.
- XXXII. Animalium tue gallica laborantium carne tuto & sine noxa sanitatis frui possumus.
- XXXIII. Animalia hoc morbo laborantia nisi herbis recentibus sanentur, frustra tentantur reliqua remedia.
- XXXIV. Morbus hic maxime ex nimio in venerem pruritu cognoscitur.
- XXXV. Natationes & frictiones morbo inter gregem epidemice regnante summa auxilia.
- XXXVI. Victus in stabulis animalibus porrectus (vulgo die Stallfütterung) livet ad obtinendum fieri coramentum admodum utilis; sanitati animalium sumuopere nocivus.

I. O. H. D.



PICA



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
**HISTORIAM MORBI**  
VARIIS IN LOCIS CIRCA HERBIPOLIM  
**EPIDEMICE GRASSANTIS**  
PER ANNOS  
MDCCCLXXXV, MDCCCLXXXVI, MDCCCLXXXVII.

QVAM VNA CVM SVBIVNC  
**EX VNIVERSA MEDICINA**  
PRAESIDE  
**IOANNE CASPARO G**  
PHILOS. ET MED. DOCTORE, PATHOLOG.  
PROFESS. P. O.  
PVBLICAE DISQVISITIONI  
**JOSEPHVS MICHAEL**  
OXOVIVS, AA. LL. ET PHILOSOPH. DOCTOR

WIRCEBURGI IN AVDITOR  
DIE VII. NOVEMBRIS M  
ab hora octaua matutina a

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniue

